

ractere non est tanta obscuritas aut difficultas. Quis enim dubitet potuisse Deum hoc reale ac spirituale signum animæ imprimere? aut cur difficile creditu est, id fecisse, non propter necessitatem simpliciter, sed propter majorem perfectionem?

2. *Characterem non esse relationem probatur primo.* — Secunda ergo opinio est, characterem quidem esse aliquid reale, non tamen absolutum quid, sed solum relationem. In hanc opinionem inclinat Scotus, in 4, d. 6, quæst. 40. Fundamentum esse potest, quia cum character solum sit quoddam signum, ut Concilia dicunt, constituitur in genere relationis; ergo et in specie relationis. Nam genus relativum non potest contrahi per differentiam absolutam. Deinde hæc ratio relativa sufficit ad illa omnia, ad quæ ponitur character; et hac occasione late ibi digreditur Scotus, ut probet dari relationes reales extrinsecus advenientes, quæ per se primo fieri possint per actionem agentis. Hæc vero sententia Scoti mihi non probatur. Censeo enim characterem non posse esse relationem realem. Primo, quia est terminus proprie actionis realis, quæ per se primo ad talem terminum tendit; non enim consequitur character positionem fundamenti, vel termini, ut patet, præcipue, quia potest solus imprimi per sacramentum sine gratia vel alia qualitate; sed nulla relatio realis potest esse hujusmodi naturæ, ut per se primo fiat per actionem, ut late probat Cajetanus hic, contra Scot., et Capreolus, in 4, d. 4, quæst. 1, art. 3, ad argumenta contra primam conclusionem, sed id prætermitto, quia philosophicum est. Secundo, illa relatio nullum posset habere fundamentum; sed sine fundamento intelligi non potest: ergo. Major constat, quia nec gratia, nec fides, nec quid aliud animæ infusum potest esse realis relationis fundamentum. Quia ablati omnibus illis, potest manere character. Nec vero sola anima, alioqui posito aliquo termino resultaret ex ipsa anima talis relatio; esset ergo intrinseca et connaturalis illi, supposita existentia talis termini. Respondet Scotus, hanc relationem fundari in sola anima, non tamen resultare ex illa, quia non est intrinsecus, sed extrinsecus adveniens. Sed, ut alibi latius dixi, hæc est petitio principii. Pugnatur enim cum natura relationis, ut supposito fundamento et termino, non resultet, sed extrinsecus adveniat. Et deinde, hoc in re nihil aliud est, quam dicere, hanc relationem nullum habere fundamentum, quod conse-

quatur; sed tantum subjectum, in quo recipiatur. Tertio, si character est relatio, inquiri in primis, qualis relatio sit. Dicetur fortasse esse relationem signi. Sed contra, quia si esset relatio signi realis, oporteret esse signum naturale, et non ad placitum; nam signa ad placitum significant tantum ex impositione, atque adeo per denominationem extrinsecam, unde non potest esse relatio realis, sed rationis, ut supra dictum est de sacramentis; relatio autem signi naturalis semper fundatur, aut in ratione effectus seu causæ, quomodo fumus significat ignem; aut in aliqua naturali unitate, seu similitudine. Unde hæc relatio signi naturalis, sive sit distincta a relatione effectus, sive non, semper tamen supponit naturam aliquam seu entitatem factam, dependentem, seu habentem connexionem aut unitatem cum alia, quam significat. Quæ entitas semper est absoluta fundans in se relationem. Rursus inquiri, ad quem dicat habitudinem hæc relatio, quæ est character. Aut enim respicit Deum, tanquam terminum: et hoc non, quia explicari non potest, sub qua ratione illum respiciat; non enim sub ratione causæ, quia hæc ratio communis est omni effectui divino; oportet autem hic explicare aliquam rationem relationis. Vel sub ratione similitudinis per aliquam participationem divinæ perfectionis: et hoc non, quia talis relatio supponit naturam aliquam et unitatem in qua fundetur; alioquin dici posset, gratiam etiam esse quandam relationem, quia est participatio quædam divinæ naturæ, et potest ad illam referri juxta hanc sententiam aliqua relatione similitudinis. Aut hæc relatio characteris dicit habitudinem ad Christum, ut ad terminum, et redeunt eadem argumenta. Quia non potest intelligi, nisi per modum alicujus effectus, aut similitudinis, seu conformitatis cum Christo; hujusmodi autem relatio maxime requirit formam absolutam, in qua fundetur; nam si anima prius non habebat perfectionem aliquam, ratione cujus esset conformis Christo, quomodo potest intelligi, ut manens immutata in omnibus absolutis, et sine additione alicujus perfectionis, recipiat realem relationem similitudinis? Aut denique hæc relatio respicit, ut terminum, futuros actus divini cultus, ut v. gr., sacramenta recipienda, vel conferenda. Et tunc ulterius interrogo, quomodo illa respiciat: aut enim per modum potentis realis, et ita non erit relatio, sed qualitas; aut per modum signi, et redeunt argumenta

facta. Ac præterea, illa non erit relatio realis sed rationis, cum non respiciat terminum realem existentem, neque ab illo pendeat. Quin potius intelligi non potest, quid ex natura rei significet hoc signum. Neque enim significat, futura esse talia sacramenta, ut per se constat. Quia fieri potest ut nunquam sint. Nec significat, hunc hominem esse capacem sacramentorum. Quia sicut sacramenta pendunt ex institutione, ita etiam, quod homo affectus tali entitate sit capax illorum et non alio modo, pendet ex institutione, et non ex sola rei natura. Igitur significatio characteris non est solum ex natura rei, sed ex impositione; ergo non potest tota realis essentia hujus entitatis in hac relatione signi consistere; nullo ergo modo intelligi potest, quod character sit pura relatio realis.

3. *Ad fundamentum Scoti.* — Ad fundamentum ergo Scoti respondetur, vocem signi, dupliciter accipi posse: primo, pro ipsa relatione signi; secundo, pro forma vel figura, quæ alicui imprimitur, ut ex impositione significet; quomodo in circumcisione cicatrix illa, quam imprimebat, dicitur signum et sigillum; et aliæ simplices figuræ, signa vocantur, licet in se sint res absolutæ. Ad hunc ergo modum dicunt Concilia characterem esse signum, quia est forma realis animæ impressa, qua consignatur intrinsece, ac deputatur ad aliquos actus divini cultus, quæ forma ex divina impositione habet ut significet, eum, cui imprimitur, esse aptum ad recipiendum, vel efficiendum hujusmodi actus. Quæ impositio non potest intelligi fundata in aliqua re permanente in anima, nisi præintelligatur aliqua forma absoluta illi impressa; et ideo negatur solam relationem sufficere ad omnia, propter quæ ponitur character.

4. *Tertia sententia.* — Tertia sententia est, characterem esse aliquid absolutum, non tamen esse rem ab anima et potentiis ejus realiter distinctam, sed fortasse aliquem modum ejus. Soto, in 4, d. 4, q. 4, art. 2, dicit, hanc sententiam esse valde probabilem, dummodo non negetur, characterem imprimi animæ, et formaliter ab illa distingui, atque ideo in genere qualitatis constitui; et fundamentum est, quia hæc distinctio sufficit ad omnia salvanda, quæ de characteribus dicuntur. Sed hæc sententia mihi etiam non probatur, sed dicendum existimo, characterem esse rem distinctam realiter ab anima, et potentiis ejus, illique imprimi, non, ut modum habentem eandem realem entitatem cum anima, sed ut

novam formam omnino realiter distinctam. Primo quidem, quia intelligi non potest quis modus hujus naturæ possit in anima fieri; aut qua ratione immutari possit hoc modo et consignari anima, sine additione novæ qualitatis, et realitatis. Præsertim, cum manifestum sit, hanc impressionem characteris, non consistere in mutatione aliqua locali, neque in habitudine, aut relatione, ut est ostensum. Secundo, quia character est supernaturalis forma et accidentalis, quæ in anima fit per propriam actionem divinam; ergo est nova forma realiter ab anima distincta. Non enim efficaciori ratione concludi potest, gratiam, vel charitatem esse res distinctas ab anima et potentiis ejus. Quia etiam character est res absoluta, et non est unio ad aliam rem, neque aliquid hujusmodi. Tertio tandem, quia posita hujusmodi forma, et distinctione ejus ab anima, facillime et propriissime intelliguntur omnia, quæ de characteribus scribuntur a Sanctis et Conciliis. Et de hac distinctione affirmanda nulla est specialis difficultas, neque est superfluum, quod animæ imprimatur hujusmodi entitas; sed ad perfectionem et decorem ejus pertinet, ut supra dictum est; non est ergo, cur hoc in dubium revocetur, atque ita tandem Soto in hanc descendit sententiam.

5. *Character est qualitas supernaturalis realiter ab anima distincta.* — Ex dictis ergo omnibus concluditur characterem esse qualitatem supernaturalem realiter ab anima distinctam, eique divinitus infusam. Hoc sufficienter patet ex dictis, a sufficienti partium divisione, quia est res supernaturalis animæ infusa, et non est relatio, ut ostensum est, et non est substantia, neque aliquid ex cæteris prædicamentis; superest ergo, ut sit qualitas, ut in comment. art. 2 declaravimus. Inquirendum ergo restat, quæ qualitas sit.

#### SECTIO III.

In qua specie qualitatis sit character.

1. *Prima sententia negat characterem esse in aliqua specie qualitatis directe.* — Qualitas naturalis, et supernaturalis univoce conveniunt. — Prima sententia est, proprie et directe in nulla esse, sed solum reductive. Ita sentit D. Thomas hic, art. 2, et probabile judicat Richar., in 4, d. 3, quæst. 1, ad 3, diverso tamen modo. D. Thomas enim fundatur in hoc, quod character est per modum

potentiæ seu virtutis instrumentalis, quam ipse dicit non poni per se sub genere, sed reductive tantum. Richard. vero fundatur in hoc, quod qualitates supernaturales non conveniunt in genere aut prædicamento cum qualitatibus naturalibus; atque ita de gratia et aliis habitibus infusis negat directe constitui in aliqua specie qualitatis, sed reduci ad illam, vel potius per se constituere suum genus illi simile; atque eodem modo dicit, characterem directe tantum constitui sub genere supernaturalis qualitatis, et per quandam proportionem vel similitudinem posse ad tres species qualitatis reduci, scilicet, ad potentiam, dispositionem, et figuram, de quo postea dicemus. Ego vero falsum existimo, qualitates naturales et supernaturales non convenire univoce in genere qualitatis; quid enim obstat, quominus ab omnibus abstrahi possit una ratio communis, quæ simpliciter omnibus conveniat, cum in modo afficiendi animam similitudinem et unitatem habeant, et nullam inter se dicant habitudinem, in qua possit aliqua analogia fundari? Item, quis neget, actum fidei, vel charitatis esse proprie et univoce actum intellectus, vel voluntatis? ergo nec de habitibus infusis negari potest, quin sint simpliciter univoce qualitas, quia est supernaturalis qualitas nobilior quam naturales qualitates, et altioris ordinis. Ergo si ad illas comparetur, est univoce et simpliciter qualitas, majori ratione quam omnes illæ. Si vero comparetur ad alias qualitates supernaturales, non est cur dicenda sit qualitas secundum quid, vel analogice. Quia simpliciter afficit, ac perficit animam, et est qualitas permanens, imo et perpetua, ut infra dicemus; et non constituitur in suo esse per habitudinem ad aliquam aliam qualitatem, ut evidentius etiam ex sequentibus constabit. Imo etiam si concedamus, dicere aliquam habitudinem transcendentalem, illa erit habitudo principii, vel potentiæ, aut virtutis instrumentalis, quæ habitudo non sufficit ad constituendam analogiam sub communi ge-

nere, neque impedit, quo minus propria ratio qualitatis alicui conveniat, ut patet in omnibus qualitatibus naturalibus quæ sunt instrumenta substantiæ ad agendum; potest enim forma aliqua accidentalis, quæ, secundum esse suum, absolute et proprie afficit subiectum in ratione principii activi, habere vim agendi tantum per modum instrumenti, atque ita priori ratione, secundum esse suum, erit vera ac propria qualitas. Unde infero secundo, necessarium esse, ut character directe, ac proprie constituatur sub aliquo genere subalterno, et in aliqua specie ultima qualitatis. Quia fieri non potest, ut aliqua res sit directe sub supremo genere, nisi median- tibus generibus subalternis et speciebus adæquate dividendis illud genus.

2. *Secunda sententia constituit characterem in quarta specie qualitatis.* — Secunda sententia collocat characterem in quarta specie qualitatis, quæ est figura. Quia per characterem fit in anima quædam spiritualis configuratio. Ita Marsil., in 4, quæst. 4, art. 4, concl. 7, et ex parte consentit Richar., loco supra citato. D. Thom. hic, art. 2, ad 1, merito hanc sententiam rejicit, nam figura proprie dicta, et non per metaphoram, non reperitur in rebus spiritualibus, cum sit proprietas quantitatis resultans ex terminis ejus; character autem est qualitas spiritualis, quæ solum metaphoricè dicitur configurare nos Christo, quia in rebus sensibilibus uti solemus figuris impressis, tanquam signis, quibus res distinguamus seu sigillumus. Unde quoniam character est qualitas impressa ad hujusmodi proportionalem significationem, ideo per metaphoram et analogiam dicitur configurare nos Christo. Unde non fit, ipsum esse in specie figuræ, quia res non constituitur in esse per denominationes metaphoricæ, sed per proprias rationes formales. Alias, quia virtus dicitur facere hominem rectum, constituenda esset in specie lineæ, vel figuræ, ad quam rectitudo spectat.

3. *Tertia sententia dicit esse potentiam.* — Tertia sententia est D. Thom. hic, art. 2, characterem constitui in secunda specie qualitatis, esseque potentiam supernaturalem, vel passivam, vel activam, qua homo aptus redditur ad opera divini cultus præstanda. Quam opinionem defendunt Cajet., Soto, et alii Thomistæ; et Scotus, dist. 6, quæst. 10, dicit, hanc sententiam non posse satis improbari, et simul addit posse simul habere rationem potentiæ, et habitus supernaturalis

operativi. Mihi tamen hæc sententia visa semper est difficillima; et ideo discurrendo per singulos characteres ostendam difficultatem ejus. Suppono autem, dupliciter posse nos loqui de potentia. Primo physice, quomodo intellectus vel calor sunt potentiæ ad suas actiones. Secundo, tantum moraliter, quomodo potestas jurisdictionis vocatur potentia; et sceptrum seu virga regia potest vocari potentia moralis, si per traditionem ejus detur potestas dominandi vel regendi.

4. *Characterem baptismalem non esse potentiam physicam ostenditur.* — Anima, ut sit receptiva gratiæ, non indiget aliquo alio a se. — Primo ergo, tractando de characterè baptismali, non potest vere dici, quod si potentia physice ac proprie receptiva alicujus actus pertinentis ad cultum Dei; quod autem non sit activa, omnes concedunt, quia illud sacramentum non dat potestatem ad agendum, sed ad recipiendum. Major patet, nam potentia physice receptiva est, quæ recipit actum et per illum actuatur. Character autem baptismi non ordinatur ad recipiendum hoc modo aliquem actum supernaturalem; ergo non est potentia passiva physice propria. Major constat ex definitione potentiæ passivæ. Minor probatur, quia character baptismi vel comparatur ad alia sacramenta, vel ad effectum gratiæ, qui per illa datur; neutro autem modo habet prædictam rationem physicam potentiæ passivæ. Et primo, non respectu sacramentorum, in primis, quia sacramenta non recipiuntur in anima, sed in corpore; imo interdum non proprie recipiuntur per passionem physicam, sed recipi dicuntur, vel quia proferuntur, ut de se audiri possint, vel quia localiter conjunguntur, seu tanguntur; hæc autem fiunt circa corpus per naturales qualitates ejus, neque est necessaria, ad hæc omnia, aliqua alia potentia physica supernaturalis. Secundo, quia si consideretur character tanquam conditio necessaria, ut sacramentum constituatur in esse sacramenti, re vera non requiritur propter aliquam rem physicam, quæ quidem addenda sit ipsi sacramento, et recipienda in homine, qui recipit sacramentum; ergo ex hoc capite non potest character requiri, ut potentia physica receptiva. Antecedens declaratur: nam v. gr., matrimonium contractum inter homines non baptizatos, eisdem verbis vel signis fit, quibus inter baptizatos; neque aliquid physicum ex parte ipsius signi externi reperitur magis in uno contractu, quam in alio. Et tamen in

hominibus baptizatis est sacramentum, et non in aliis, solum propter moralem rationem et significationem adjunctam uni, et non alteri. Secundo, quod character baptismalis non habeat propriam ac physicam rationem potentiæ passivæ respectu effectuum aliorum sacramentorum, facile probari potest, quia ille effectus, aut est gratia habitualis, aut sacramentalis, aut character in sacramentis confirmationis et Ordinis. Primo ergo gratia habitualis immediate recipitur in ipsa anima, quæ per seipsam est capax gratiæ, et per potentias suas est capax virtutum et donorum, quæ gratiam consequuntur. Quod tam est per se notum, ut non indigeat probatione. Nam ante institutionem baptismi recipiebatur gratia in anima, nulla alia mediante potentia receptiva; et nunc etiam Catechumenus recipit gratiam et virtutes ante characterem, et baptismus postea adveniens confert effectum gratiæ augendo gratiam præexistentem in eodem subjecto et potentia, in qua antea erat. Præterea, quia si character esset hoc modo potentia passiva respectu gratiæ, oporteret prius natura atque immediatius recipi in essentia animæ, quam ipsam gratiam, quod tamen D. Thomas non admittit. Atque eadem ratione posset fingi alius character in voluntate, ut esset potentia receptiva charitatis. Denique, si gratia, quia est forma supernaturalis, requireret in anima potentiam receptivam ab anima distinctam, cum character sit forma supernaturalis, non posset immediate recipi in anima, sed aliam potentiam receptivam requireret, et ita procederetur in infinitum.

5. Responderi ad hæc omnia potest, characterem vocari potentiam passivam, non quia sit proprie receptiva gratiæ, vel alicujus actus, quo informetur, sed quia disponit hominem ad alia sacramenta recipienda, et effectus eorum; dispositio enim reducitur ad causam materialem; et hac ratione vocari potest potentia passiva. Sed in primis, si verum esset characterem esse dispositionem, directe et proprie constitueretur in prima vel tertia specie qualitatis; unde non esset reducendus ad secundam. Deinde supra ostendimus et argumentis etiam factis ostendi potest, characterem non esse dispositionem physicam ex natura rei habentem connexionem cum gratia, sed solum ex ordinatione divina respectu gratiæ, quæ fit per sacramenta; unde, sive vocetur potentia, sive dispositio, quoad hoc eadem est ratio. Nec vero potest character

baptismalis dici dispositio ad gratiam, eo quod sit principium efficiendi aliquem actum, quo homo se ad gratiam disponat, tum quia hoc re vera est falsum, et improbable, ut de aliis characteribus statim ostendemus; nam certius hoc est de characteribus baptismali. Tum etiam quia parvulus baptizatus potest recipere aliqua ex aliis sacramentis valide et cum effectu sine proprio actu. Tum denique quia, si illud esset verum, non esset character baptismalis constituendus in specie potentiae passivae, sed vel in specie potentiae activae, vel potius in specie habitus. Nullo ergo modo potest character baptismalis dici potentia passiva seu receptiva physice ac proprie respectu gratiae sanctificantis, quae vel per ipsum baptismum, vel per alia sacramenta datur. Et eisdem rationibus idem ostenditur de gratia sacramentali, quae, cum non sit res diversa ab actibus intellectus, aut voluntatis, eadem vel major ratio de illa est, quae de habitibus. De characteribus confirmationis et Ordinis, si quis contendat recipi medio characteribus baptismali, ut propria potentia physice receptiva, non potest quidem evidenti argumento impugnari, quia neque ex terminis constat id esse impossibile, neque ex effectibus aut signis aliquibus probari potest non ita esse, cum hi characteres nunquam dati sint, nec dentur, nisi homini habenti characterem baptismalem. Nihilominus tamen gratis et sine fundamento id affirmatur; nam quod ex ordinatione divina character baptismalis semper supponatur ante hos characteres, non est signum, esse potentiam receptivam illorum proprie ac physice, quia etiam alia sacramenta non possunt habere valorem neque effectum in subjecto non habente characterem baptismalem, non propter rationem physice potentiae passivae, sed solum propter divinam institutionem; ergo similiter haec sola est propria et immediata ratio, propter quam dicta sacramenta non possunt esse valida in subjecto non habente characterem; unde fit, ut nihil in eo possint efficere. Et praeterea, si ex naturalibus philosophari licet, una qualitas nunquam est potentia receptiva alterius, nisi per illam constituatur in actu secundo, vel primo ad agendum, ut contingit in potentiis animae, quae nec sunt pure activae, nec pure passivae, sed utramque rationem participant; sed character baptismalis non habet rationem hujusmodi potentiae respectu aliorum; ergo gratis fingitur esse potentia physica receptiva eorum.

Et praeterea sine necessitate, quia sicut anima per se ipsam et per suas potentias est capax unius characteris, ita et aliorum. Neque est verisimile, characterem baptismalem ex natura sua ita esse subordinatum aliis characteribus, ut sine illis sit quasi in statu imperfecto, qualis est status potentiae passivae, quae suo actu caret; est ergo hic character qualitas quaedam non activa, formaliter actuans ac perficiens subjectum sine ullo ordine vel habitudine connaturali ad alium actum in eo recipiendum, et ideo physice ac proprie non est potentia passiva.

6. *Character Ordinis non est potentia physica.* — Secundo de characteribus Ordinis omnes admittunt non habere rationem potentiae passivae, quia non datur ad recipiendum, sed potius ad agendum. Quamvis de characteribus, qui datur per inferiorem Ordinem, dubitari posset, an comparetur ut potentia passiva ad characterem impressum per superiorem Ordinem. Dicendum vero est, etiam sub hoc respectu non habere proprie rationem potentiae passivae. Quod ostendi potest rationibus paulo ante factis de characteribus baptismali respectu aliorum. Et addi potest, minorem esse subordinationem essentialem inter characteres diversorum Ordinum, quia, licet superior Ordo recipi non debeat ante inferiorem, tamen si recipiatur, factum tenet, et ejus character imprimatur, et sicut tunc non recipitur in alio characteribus, qui nondum est, sed immediate in ipsa anima, vel potentia ejus, ita intelligendum est fieri semper, quia semper informat animam eodem modo.

7. *Obiectio. — Refutatio.* — Omissa ergo potentia passiva, dicendum est de ratione potentiae activae. Et interrogo, an character Ordinis dicatur esse potentia physica respectu sacramentorum, quae a sacerdotibus dantur, vel respectu effectuum talium sacramentorum; neutrum autem dici potest; ergo hic character non habet propriam rationem potentiae activae. Prior pars de sacramentis manifesta in primis est in characteribus sex Ordinum inferiorum, scilicet usque ad Diaconatum. Nam per illos proprie non datur potestas ad conferendum aliqua sacramenta. Nam licet diacono detur interdum facultas baptizandi, vel dispensandi sacramentum Eucharistiae, hoc potius est, ut jure et licite id faciat, quam ut factum teneat. Unde constat, id non pertinere ad potestatem ordinis simpliciter, sed solum ad rectum modum administrandi sacramentum. Relinquitur ergo, hos

characteres inferiorum Ordinum non habere propriam rationem potentiae activae supernaturalis. Primo, nam illi actus, propter quos dantur, si exterius considerentur, quoad actus externos, verbi gratia, cantandi Evangelium, vel similes, nec in se habent aliquid supernaturale, neque faciunt supernaturalem effectum ex opere operato, propter quem requiratur potentia activa supernaturalis physica et propria. Si vero considerentur quoad actus interiores, qui ad exteriores requiruntur, illi solum esse possunt actus fidei, vel religionis, ad quos non requiritur alia potentia praeter habitus virtutum. De characteribus vero sacerdotali, vel Episcopali (si distinctus est) idem facile probatur, quia sacramenta omnia quoad suum esse solum consistunt in re sensibili, seu in actione corporali et sensibili (excipio Eucharistiam, de qua est alia ratio, ut statim dicam); sed ad omnem actionem sensibilem, in qua sacramentum consistit, sufficiunt organa corporis cum suis naturalibus potentiis, ut verbi gratia, ad proferendum verba sufficit naturalis vis loquendi, et ad lavandum, vel unguendum, naturalis vis motiva manus, vel aquae, et sic de aliis. Ergo ad faciendum totum id, quod est sensibile in sacramento, non est necessaria potentia aliqua physica, quae est character. Responderi potest, hoc esse verum de sacramento quoad id, quod est materiale in ipso; tamen formaliter ad faciendum sacramentum in esse sacramenti esse necessariam hujusmodi potentiam. Sed hoc facile refutatur, quia illud esse sacramenti, supra rem sensibilem, quae est sacramentum, nullam rem addit, sed solam denominationem extrinsecam et significationem, quae convenit tali actioni vel passioni ex divina institutione. Unde in ministro nullam aliam realem actionem externam requirit, ut fiat illud esse formale sacramenti; sed sicut intelligitur resultare relatio realis posito fundamento et termino, ita, supposita institutione Christi, eo ipso quod talis actio sensibilis fit a ministro Christi, ut sic, circa subjectum capax, resultat ratio seu relatio sacramenti. Dico autem, a ministro Christi, ut sic, quia necesse est ut illa actio fiat a ministro deputato a Christo, ad quod non est necessaria potentia physica respectu sacramenti, sed sola Christi institutio, vel ordinatio. Necessaria praeterea est in hujusmodi ministro intentio faciendi quod fecit Christus, ut infra dicemus; tamen ad hanc etiam intentionem non est necessaria nova potentia phy-

sica activa, quae sit character, nisi velimus fingere miracula non necessaria. Primo, quia hujusmodi intentio potest haberi, quoad aliqua sacramenta, sine characteribus, ut in baptismo, et in matrimonio; in aliis vero sacramentis, licet requiratur character ministri, ut sacramentum sit validum, tamen ipsa intentio non potest esse a characteribus, tanquam a principio physice elicente talem actum, quia ille actus est voluntatis, et supponit aliquam cognitionem; sed illa cognitio sufficienter habetur per fidem; voluntas vero conficiendi sacramentum sufficienter est, vel a religione, si fiat in cultum Dei, vel a charitate proximi, si fiat in bonum ejus, vel ab utraque simul, vel aliis virtutibus voluntatis, si fiat ex multis motivis honestis. Interdum vero nec fides supernaturalis necessaria est ad hujusmodi intentionem dandi sacramentum, quia haereticus, seu infidelis potest habere illam. Neque in voluntate est necessaria aliqua virtus, vel potentia supernaturalis; a qua procedat, quia per actum mere naturalem potest minister sacramenti velle conficere sacramentum; imo per actum humanum et ex pravo motivo. Ergo propter efficiendum hujusmodi actum internum, quatenus necessarius est ad faciendum sacramentum externum, non potest requiri character, ut proprium principium physicum effectivum talis actus. Adde, etiam si hac ratione requireretur character, non posse habere rationem potentiae, sed potius habitus, quia supponeret in intellectu et voluntate aliquam potentiam elicendi tales actus vitales. Sic enim concurrunt omnes alii habitus infusi ad supernaturales actus; ergo, respectu sacramentorum tantum, non potest character Ordinis habere rationem potentiae activae physicae ac propriae.

8. *Characterem non esse effectivum gratiae ostenditur. — Obiectio. — Responsio. — Nulla qualitas ex natura sua est effectiva gratiae.* — Superest, ut probemus alteram partem, scilicet comparando hunc characterem ad effectum sacramentorum, qui est gratia, non comparari ad illum, ut veram potentiam activam physice effectivam ejus. Duobus enim modis possumus intelligere, spiritualemente characterem inhaerentem sacerdoti physice efficere gratiam in alio, cui sacerdos ministrat sacramentum. Primo, mediante actione aliqua immanenti seu vitali ipsius sacerdotis, sicut voluntas Angeli efficit motum in caelo, medio actu immanente, quo vult, seu imperat talem motum. Alio modo intelligi potest efficere per